MATER et fratres mei hi sunt qui uerbum dei audiunt et faciunt.
Moralis magister qui de se ceteris praebet exemplum, atque i-
pse praeceptor, ipse coepit sui esse exsecutor praecepti. Prae-
scripturus enim ceteris quod qui non reliquerit patrem aut matrem suam, non est fili-
o dei dignus, sententiae huic primus ipse se subicit; non quo maternae refu-
tet pietatis obsequia, ipsius enim praeceptum est: qui non honorauerit patrem
aut matrem morte moriatur; sed quia paternis se mysteriis amplius quam
maternis affectibus debere cognoscat. Neque tam iniuriose refutantur
parentes, sed religiosiores copulae mentium docentur esse quam corporum. Er-
go non debuerant foris stare, qui Christum uidere quaerebant. Prope est enim
uerbum in ore tuo et in corde tuo. Intus est qui uerbum, intus est lumen. Unde
et ille ait: Accedite ad eum et illuminamini. Si enim foris stantes nec i-
psi cognoscuntur parentes, et Christum nostrum fortasse non agnoscunt, exem-
plum quemadmodum nos agnoscimur si foris stemus. Nec putet aliquis offen-
diculum esse pietatis, uel mandatum legis impletur. Si enim relinquet homo pa-
trem aut matrem et adherebit uxori suae et erunt duo in carne una,
recte sacramentum hoc in Christo seruatur et in ecclesia. Ideo parentes cor-
poris Christo non oportuit anteferri. Ergo hic non ut quidam heretici tendicu- [i. insidias]
las aucupantur mater negatur, quae etiam de cruce cognoscitur, sed necessitudi-
ni corporali praeceptorum caelestium forma praefertur. Illud quoque intellegere non
abhorret, quod per figuram parentum demonstrat iudeis, ex quibus est Christus
secundum carnem, ecclesiam quae credidit praeferenda. Itaque qui se intellegeret tan-
tum diuinum intrasse uenisse mysterium ecclesiaeque euentum. A discipulis exci-

xxxiii. RELICTIS nauem (Ubi cum discipulis nauigat et tempestate orta)
ascendit parentibus. Neque enim quisquam poterat hunc mun-
dum enauigare sine Christo, quando eos quoque quibus dominus adest tem-
ptationum saecularium saepe procella perturbat. Et economia seruatur
in apostolis, ut aduertas sine temptatione neminem posse ex hoc uitae
curriculo demigrare, et exercitium fidei temptatio est. Subiecti quoque su-
mus nequitiae spiritalis procellis, sed quasi peruigiles nautae gubernatorem